ORDINIS THEOLOGICI

IN

ACADEMIA REGIA FRIDERICO - ALE

H. T. DECANVS

D. GEORGIVS FRIDERICVS

SVMMOS IN THEOLOGIA HO

IN

VIRVM MAXIME REVERENDVM ET CEL

CHRISTOPHOR. FRIDERICVM

PHILOSOPHIAE DOCTOR. PROFESSOREM THEOLOG
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICO - ALEXANDRIN
ACADEMICI ANTIST. SECVNDVM

RITE CONFERENDO

INDICIT

Praemissa est: Commentationis de caussis atque fin
Sectio III.

ERLANGAE

LITTERIS IVNGEANIS CIƆIƆCCLX

LOGICI

CO - ALEXANDRINA

NVS

RICVS SEILER

GIA HONORES

ET CELEBERRIMVM

RICVM AMMON

THEOLOGIAE ORDINARIVM

ALEXANDRINA ET TEMPLI

SECVNDVM

RENDOS

---

is atque finibus vaticiniorum

GAE

Iↄ Iↄ CC L XXXXIII

Vaticiniorum cauſſas atque fines indaganti mihi ſaepe in mentem venit haec cogitatio, quam admirabilis dei ſit ſapientia, adhibentis vnum idemque adminiculum ad procreanda multiplicis generis bona et animorum humanorum ſaluti et corporis viribus inſeruientia. Quot et quanta emolumenta ex aqua percipire homines deprehendimus? Quot fructuum genera e terra? Quot commoda ex ſolis lumine et ardore! Eadem ratio eſt vaticiniorum: vna oraculorum vis; plures fines. Scrutemur igitur diuinae prouidentiae veſtigia, vt intelligamus, quaenam emolumenta rerum futurarum praedictionibus in genus humanum intulerit. Cumque omnis noſtra vera felicitas et inprimis animorum ſalus ex accurata et vera Dei notitia pendeat; in hoc argumento pertractando initium faciendum erat ab hoc ipſo, vt demonſtraremus, *Deum futura et quidem fortuita diu nonnunquam ante, quam acciderent*, ſiue ſignis, ſiue claris verbis indicaſſe, vt familiis quibusdam generis hum. antiquis ſui *numinis vim* et *exiſtentiam* comprobaret. *Sequitur* nunc alterum, quo efficiemus, vt intelligatur, deum res futuras eum etiam in finem indicaſſe, vt *naturae ſuae perfectiones humano generi patefaceret atque in rebus viſibilibus dirigendis ad contemplandum ante oculos quaſi poneret.*

Huius rei demonſtrationem exhibiturus ante, quam opus ipſum aggrediar, declarandum eſſe cenſeo, me eum non eſſe, qui ſibi perſuadeat, mentem humanam intelligentiae purae et perfectae naturae infinitae et aeternae capacem eſſe. Eiusmodi enim dei notitiam, quam intuitiuam appellant, in noſtram infirmitatem non cadere, et philoſophi recte docent, et ſacrae litterae confirmant 1 Tim. VI, 16. et Matth. XI, 27. Accommodauit ſe deus humanae ſentiendi rationi in apperien-

 dis

dis et reuelandis suis perfectionibus. Sermone humano se ipsum tanquam hominem descripsit moreque humano nobiscum egit, vt aliquam saltim consequeremur eius cognoscendi facultatem. Quasnam igitur naturae suae infinitae perfectiones rerum futurarum praedictionibus siue notas fecit, siue in clariorem lucem produxit?

1. Primo loco, hoc in argumento explicando, *veracitatem* dei ponendam esse, res ipsa monet. Apertum enim est atque clarum, de hac dei virtute homines ne quidem cogitare potuisse, nisi ipse promissis quibusdam, hominibs datis, fide praestita, stetisset. Ex huius enim vniuersi contemplatione, ex rerum creatarum mirabili conformatione, et quo constitutae sunt, ordine, intelligitur quidem, conditorem huius mundi maxima vi, sapientia, naturaeque bonitate esse praeditum; sed *veracitatis* ipsius ne vllum quidem in hac visibilis mundi compage deprehendimus indicium. Cum autem hominum, peccati labe infectorum, eiusmodi sit natura, vt non nisi *fide in deo posita* queant ad veram animi requiem et salutem pertingere; Deus dedit et singulis quibusdam hominibus et familiae Abrahamiticae vniuersae certas rerum futurarum promissiones, vt, iisdem impletis, intelligerent, esse dei sermones veros, eumque mentiri nescium; quidquid boni amicis suis vnquam spoponderit, id tempore commodo et saluti eorundem maxime accommodato, iis largiturum esse. Quantum roboris fides horum hominum ex hac cogitatione ceperit, omnes nosse existimo, qui historiam sacram attento animo legerint.

2. *Iustum* esse Deum, discere quidem poterant homines, antiquissimis etiam temporibus viuentes, ex rerum visibilium cum felicitate humana peculiari et arctissima coniunctione, qua fit, vt qui recte fecerint, bona consequantur, qui peccata commiserint, afficiantur malis. Sed hanc rerum, se inuicem sequentium, rationem paucissimi in ipsa rerum natura quaesituri fuissent, nisi deus signis quibusdam visibilibus et verbis decla-

declarauiſſet, ſe eſſe auctorem et conſeruatorem huius ordinis, ſe praemiis exornare iuſtos et probos, immorigeros autem poenis afficere. Vt igitur homines certiorem et efficaciorem conſequerentur iuſtitiae diuinae intelligentiam, deus pro ſapientia ſua hominibus mala quaedam minatus eſt eaque inflixit iis, qui in peccatis perſeuerauerant. Piis autem cultoribus ſuis beneficia promiſit et obedientiae conſtituit non ſolum, ſed et exhibuit praemia. Sapienti hac rerum directione effectum eſt, vt homines *iuſtitiae diuinae et vltricis et remuneratoriae* aliquam perciperent notitiam. Illuſtre imprimis iuſtitiae ſuae documentum dedit deus tum, cum hominum genus deprauatum et penitus corruptum diluuii aquis deleret. Quamuis enim credibile ſit, propter aquae multitudinem terram adhuc circumfluentem, fluctus naturali vi ſua et impetu Aſiam inundaſſe; hoc tamen euentu terribili deus iuſtitiam ſuam declarauit, cum hanc rerum humanarum euerſionem per Noachum, diu antequam incideret, *praeſignificari* curauit. Niſi enim deus expreſſe declaraſſet, mala ex aquarum inundatione oriunda, eſſe *poenarum* genus, *peccatoribus ob flagitiorum* grauitatem infligendum, quisnam hominum potuiſſet diiudicare, atque certis rationibus probare, diluuium illud inter *poenas diuinas* eſſe referendum? Ex *hoc potiſſimum* fonte fluxiſſe videtur opinio omnibus fere gentibus communis, mala inſignia quaeuis eſſe poenas diuinas. Atque hanc ipſam ob cauſam deus futuros euentus quam plurimos, cum triſtes, tum laetos, Abrahamo et poſteris ipſius praenuntiauit *), vt intelligerent, ſe proborum eſſe remuneratorem et impiorum ſeuerum iudicem.

3. *Amorem* Dei praeterea, *munificentiam* ipſius, atque *clementiam* ope vaticiniorum et rerum futurarum praedictionibus, penitius intellectam eſſe ab Iſraelitis, ſine difficultate quiuis concedet, harum promiſſionum naturam et vim probe conſideraturus. Quis enim non admiraretur ſummam Dei

 in

*) Harum praedictionum exempla recenſuimus nuper in ſecunda huius commentationis Sectione.

in cultores suos benignitatem, cui non satis esset, rerum praesentium abundantia eorundem desideriis satisfacere, sed qui velit etiam spe futurae felicitatis, a se promissae, iucundos augere animorum sensus? Quomodo e. c. exultat Dauidis animus, promissione de regno aeterno accepta: „O Iehova Deus, quis ego sum, aut quae mea stirps est, vt me hucusque adduxeris; vtque parum hoc tibi fieri visum fuerit, vt tu etiam stirpi *meae in longinquum prospicere* volueris, vt mea propago tuo sit fauore felix *in sempiterum*! II Sam. VII, 25. 28. 29. Hac ratione et aliorum hominum animos rerum promissarum dulci praesensu et expectatione ad adorandam Dei benignitatem esse commotos, non est, quod dubitemus.

4. Nonnunquam oraculis eiusmodi implendis *omnipotens* Dei *vis*, et mira ipsius *sapientia*, in lucem proferebantur clariorem. Deus enim piis hominibus saepius pollicebatur talia, quae fieri posse, vix credibile esset. Cum igitur nihilominus euenirent, confirmabantur animi in ea persuasione, nihil esse tam inopinatum et incredibile, quod deus omnipotens efficere non posset. Sine rerum praedictionibus mirabiles quidem visu fuissent eiusmodi euentus inusitati et extraordinarii, sed quis est, qui non intelligat, istius aeui homines illos vel casui tribuisse, vel ad vim aliquam naturae occultam, non ad Deum ipsum relaturos fuisse? Postquam autem Deus voluntatem suam hominibus antea iam declarauerat, promiseratque se effecturum, quae ab hominibus fieri et produci plane non possent, Abrahamus posterique ipsius vis infinitae et mirificae sapientiae diuinae intelligentiam ampliorem sunt a secuti.

5. *Praescientiam* rerum futurarum et omniscientiam denique vaticinationibus declaratam esse, res ipsa docet. Harum naturae diuinae perfectionum nulla fere hominum antiquissimorum notitia videtur fuisse; quod quidem ex primis libri primi Mosis capitibus vltro adparet. Inducitur enim deus repetita vice tanquam de coelo descendens, *vt videat*, quid homines in terra agant Genes. XI, 5. Cap. XVIII, 20. 21. Nec poterant

pri-

primae generis humani familiae, omni philosophia et subtiliori naturae cognitione destitutae, aliter cogitare de summo numine. Quid? quod ne magni nominis seriorum temporum philosophi conuicti erant, deos futura praescire omnia? Hoc saepius repetiit Cicero in libris, quos scripsit de diuinatione Lib. II, 7. it. Lib. I, 5. Fratri enim, *Quinto*, rationem Stoicam probanti, deos non posse non futura praenoscere, respondit, multos alios philosophos hoc negare, eosque inprimis omnes, quibus non placeat, esse certum, quod futurum sit. Inter Iudaeos etiam fuisse, qui dubitarent de Iehouae rerum futurarum praescientia, ex omnibus illis s. codicis locis intelligitur, quibus auctores historici et prophetae referunt, Israelitas ex hariolis et gentilium oraculis futura sciscitatos esse. Qua re Iesaias hanc stultitiam carpens: si vobis, dixit, quidam suaserint, vt ventriloquos magosque mussantes consulatis, (sic cogitetis): nonne suum debent homines deum consulere? Cap. VIII, 19. Quoties idem vates Israelitarum animis hanc veritatem inculcauit, Iehouam *solum praescire*, quae futura sint! cap. XLI, 21—26. XLIII, 9. Hanc autem dei, rerum futurarum *praescientiam* vt homines rite cognoscant, ad illorum veram salutem promouendam maxime est necessarium. Quomodo enim *firma fiducia, in deo posita*, pacato et laeto animo, bona quaeuis ab eo exspectare possemus, nisi essemus persuasi, illum, quid et in posterum nobis vtile, quid optimum nobis sit, praeuidere; qua ratione, quae nobis nostrisque posteris post obitum nostrum proficua sint, precibus fusis ab eo efflagitare et exspectare possemus, nisi crederemus, deum cuncta scire, quae hominum saluti siue aduersaria, siue consentanea futura sint? Dei rerum futurarum scientia sublata, destruitur fidei fundamentum firmissimum omnisque de prouidentia diu. institutio labefactatur.

Ad tertium vaticinationis caussarum et finium genus explicandum accedimus, quod ex *felicitatis humanae efficiendae et promouendae necessitate* deriuatur. Sicuti nempe deus in salute humana procuranda omnibus auxiliis atque copiis vtitur, quae aliquam vim habere possint ad animos eorum emendandos,

pacan-

pacandos et virtute exornandos; ita etiam rerum futurarum praedictiones ad hunc scopum consequendum adhibuit.

Atque, vt inde ordiamur, ipsa rerum futurarum scrutatio ad acuendum intellectum humanum facere videtur. Omnis enim rationis vis in eo cernitur, vt *caussas* rerum et effectus perspiciamus eorundemque nexum ita perscrutemur, vt quid ex quaque re sequatur et futurum sit, praeuideamus. Hanc potissimum ob rationem, deus menti humanae insatiabilem futurorum praesentiendorum cupiditatem indidisse videtur. Brutorum est, res praesentes sine cogitatione adspicere, iisque vti coeco instinctu; hominum autem, cogitando et rerum praesentium aspectu ad inuisibilia progredi et futura rimari. Quo saepius mortales hanc rerum futurarum intelligendarum exercitationem suscipiunt, eo sagaciores, et prudentiores eosdem reddi, constat. Hac futuri praesciendi cupidine homines eo ducuntur, vt cogitent, quid post huius corporis mortem futurum sit; *quid illorum* animis euenturum, in quemnam mundi locum translocandi sint, quaenam praemiorum genera virtutem, quinam poenarum sensus malefacta sequi, credibile sit? *Hanc rerum futurarum perscrutandarum* nisum si demis, omnis religionis vim tollere videaris. Nam ad *futuram inprimis felicitatem* consequendam, doctrina de rebus diuinis nobis est tradita. Ex his omnibus colligitur, diuinam sapientiam rerum futurarum praedictionibus hoc etiam efficere voluisse, vt ex rerum praesentium et corporis sensus afficientium vsu et illecebris animi hominum eriperentur, atque ad futura contemplanda commouerentur. Atque hoc primis post mundum conditum temporibus maxime necessarium fuit, quia in illis humani generis incunabulis mortalium plurimi, sensuum imperio subiecti, solis ducebantur sensibus et rerum visibilium formis delectabantur. Quantam autem habeat *rerum futurarum expectatio* vim ad abstrahendos animos a rerum in sensus cadentium specie, intelligent omnes, qui, quid futurae vitae spes, in primis Iesu Christi asseclis effecerit, acurata lance pensitent, et ipsi experti sint, quasnam gignat in nostris animis cogitationes, quos

sen-

ſenſus elatos deoque gratos. Eosdem autem et olim fuiſſe rerum futurarum ſpei effectus ex Abrahami, Iacobi, Iſaaci, aliorumque exemplis discimus, de quibus Paullus in epiſtola ad Hebraeos Cap. XI, 9. etc. multas egregias ſententias protulit.

Praeterea, haec rerum futurarum, a deo promiſſarum, expectatio, quantam haberet vim, *ad fidem in deum in hominum animis confirmandam* atque augendam, multis exemplis comprobari poſſet, niſi res ipſa adeo in aprico poſita ſit, vt probatione non egeat. Nam fidei natura potiſſimum cernitur in promiſſionibus diuinis acceptandis et promiſſis exſpectandis.

Ex fide autem, in qua omnis fere vis religionis poſita eſt, naſcitur quaedam mentis laetitia, quae veram hominum felicitatem mirum in modum augere poteſt et ſtabilem reddere. Duplex eſt enim iucundarum ſenſationum fons; alter eſt in fructu rerum praeſentium conſtitutus; alter in *praeuiſione rerum laetarum*, quas animus deſiderat et certa ſpe expectat. Experientia teſte, ex hac rerum futurarum praeuiſione, plurimorum hominum animi magis oblectantur, quam ipſarum rerum praeſentium adſpectu. Earum enim, quas poſſidemus et quibus quotidie fruimur, pretium ipſa fruendi facilitate diminui ſolet. Inde fit, vt animus languere incipiat in hoc vſu perpetuo, atque vt rerum vel iucundiſſimarum ſenſu denique taedio afficiatur. Rerum autem expectatarum pulchritudine et praeſtantia mirum in modum allicimur; *ſpeque ipſa reddimur felices.* Rom. VIII, 23-25. Reſpiciamus iterum ad Abrahami exemplum, quod hoc in argumento inſtar omnium eſt. Geſtiuit ille diem filii, ipſi promiſſi, videre; vidit atque laetatus eſt. Ioh. VIII, 56. Eodem laetitiae ſenſu affectos eſſe Iſaacum, Iacobum aliosque fide vera homines praeditos, inde colligitur, quod eaedem cauſſae in hominibus ſibi ſimilibus ſimiles producere ſoleant effectus. Habebant itaque diuinae promiſſiones eam vim, vt *retro operarentur.* Pii videlicet homines, qui easdem a deo acceperant, animis ſuis pari modo afficiebantur, ac ſi beneficia promiſſa oculis animaduerterent, tenerentque ma-

nibus

nibus ſuis. Horumque beneficiorum intuitu eo magis laetabantur, quod nihil prius in votis haberent, quam poſteritatem, omnibus bonis exornatam et diu florentem, quodque beneficia familiis ſuis promiſſa et poſteris in extremis temporibus aliquando viuentibus a deo praeſtanda, eodem loco haberent, ac ſi ipſis iam tradita eſſent. Sic, vt exemplis vtar, certum eſt, Abrahamum Palaeſtinam, licet peregrinum et hoſpitem in hac terra, tamquam *ſuam* et *propriam* conſideraſſe, liberisque ſuis *haereditatis loco* reliquiſſe. Ebr. XI, 8. Eandem fuiſſe Iſaaci et Iacobi de hac terra cogitandi rationem, ex eorundem vitae hiſtoria patet. Cum itaque homines illi, vera in deum fide et pietate praediti, omnem et ſuae et poſteritatis ſuae ſalutem a deo deriuandam eſſe ſtatuerent; cum illorum animi rerum futurarum, a ſummo numine ipſis et familiis ſuis promiſſarum, magnitudine et ſplendore mirum in modum adficerentur; non poterant non inde oriri *amoris* erga Deum, et *gratiarum* ipſi *agendarum* ſenſus ad omne virtutis ſtudium, promouendum ſaluberrimi. Eiusmodi enim ſunt praeſtantiſſimi verae fidei fructus, qui in Israelitis gigendi erant et alendi eo magis, quod in eiusmodi rerum futurarum praeuiſione *ſolatium* haberent in *rebus aduerſis* dulciſſimum. Quam erecto et conſtanti animo e. c. Dauides mala tulit et ſuperauit, quibus, a rege Saul fugatus, in exilio circumdatus erat et obrutus! Quam firma fide nitebatur animus ipſius in diuina promiſſione, ſe regem fore omnium gentis ſuae familiarum! Quidnam cauſſae erat, quod Abrahamus animum ſuum non frangi pateretur, quum mandatum acciperet immolandi filii ſui vnigeniti? Nonne eadem rerum laetarum promiſſio, in qua, tanquam in rupe immobili, fides ipſius erat poſita et ſtabilita? Ebr. XI, 8. etc. Non ſolum vero ſinguli homines res moleſtas eo lenius tulerunt, quod meliora a deo ipſis promiſſa, tamquam totius vitae ſuae ſcopum, in oculis haberent; ſed omnes Israelitae, quotquot videlicet eorum veri erant dei cultores, in publicis calamitatibus promiſſionum diu. vi et efficacia mentibus corroberabantur et ad res maximas gerendas nonnumquam incitabantur. Quare videmus, deum regni *perpetui* ſeu *Meſſiani* felicitatem iis potiſſimum

mum temporibus a prophetis fusius describi curasse, quibus vel ab hostibus bello peterentur, vel aliis aduersariorum vexationibus essent expositi. (Ies. VII. VIII. IX. Ier. XXIII. Ezech. XXXIV. XXXVII.) Omnes prophetae iis orationibus, quibus vel vrbis Hierosolymitanae destructionem, vel totius Palaestinae vastationem portendebant, sub finem adiecerunt spem *meliorum temporum*, in regno Messiae expectandorum. Hanc ob rationem vates diuini ex rerum tristium, tunc temporis instantium, adspectu oculos subito auertere solent et dirigere in *extrema tempora*, (באחרית ימים), quibus in Hierosolyma, post exilium restituta, *regni aeterni* fundamenta positum iri sperabant.

Hoc in regno piis dei cultoribus perpetua virtutis praemia distributum iri sperabant, quae spes necessaria erat cum ad animos tranquillandos, tum ad virtutis studium eosdem excitandos. Multis enim probis hominibus laborum et operum bonorum merces in vitae suae breuitate et molestia tribui non poterat. His deus pro benignitate sua bonorum futurorum spem praemii loco constituere decreuit. Aliis, quos multis quidem exornarat beneficiis, maiora adhuc promisit eam ob causam, quod res terrestres, caducae et fragiles tanti momenti non sunt, vt virorum proborum desideria explere possint. Atque harum promissionum vi et virtute Deus *praesensum aliquem immortalitatis* animarum videtur instilasse iis, qui de vitae post corporis mortem modo et ratione suspiciones magis, quam distinctas habebant repraesentationum formas. In istam enim humani generis infantiam non cadebat distincta, euidens et perspicua *felicitatis coelestis* notitia. Hoc vel ex eo patet, quod ipsi apostoli vix essent capaces percipiendae doctrinae de Christi *in coelos ascensione* Ioh. VI, 62. Promissionum diu. virtute et efficacia mentes piae, e praesentibus rebus auocatae, dirigebantur ad contemplandas res futuras et inuisililes! Perceperant siquidem a parentibus suis traditione, atque ex vitae suae anteacte historia didicerant, deum, quae bona promiserit amicis suis, certe etiam exhibere, eorundemque salutem omnibus modis curare et augere; ideoque in eam sensim deferebantur expectationem, deum illis proui-

ſurum etiam eſſe in mortis articulo, animarum ſuarum felicitatem poſt corporis deſtructionem ſiue conſeruaturum, ſiue reſtauraturum. Hoc dulci morientium ſolamine Abrahamum et poſteros, fidei ipſius imitatores, ex hac vita deceſſiſſe, auctor epiſtolae ad Hebraeos docet cap. XI. 13. etc. Firma in deo poſita fiducia moriebantur, non adepti his in terris promiſſa, ſed ea procul conſpicati crediderunt et amplexi ſunt. Quantas nos decet agere deo gratias, immortalitatis ſpem certiſſimam nobis facienti per Chriſti non modo doctrinam, ſed et ipſius mortem et reſurrectionem, validiſſimis teſtimoniis comprobatam, aliisque multis confirmatam rationibus! Sed de hac ipſa *adumbrationis doctrinae de animorum immortalitate a Ieſu Chriſto propoſitae praeſtantia*, erudite et eleganter, vt ſolet, commentatus eſt, quem annunciamus hoc libello, nouus S. S. *Theologiae Doctor*, cuius vitae breuem hiſtoriam, ab ipſo delineatam, pro more antiquo, huic loco inſerimus.

Natus ſum ego Baruthi, anno huius ſeculi ſexageſimo ſexto, menſis Ianuarii die decimo ſexto, parentibus Philippo Michaele Paulo, collegio, quod reditus curare ſolet, tunc temporis, ab expediendorum et ſecretorum conſiliis, et Euſebia Eleonora Maria, nata Grieſhammeria. Poſita vix erant aetatis tenellae crepundia, quum in ipſa adhuc vrbe huius regionis principe ingeniolum pueri inſtitutione priuata effingi et efformari vellent parentes optimi, paucis annis poſtea Oſternoham, pagum ſuperioris et inferioris principatus Baruthini terminos fere coniungentem, iuſſu principis euocati. Quo quidem in loco, iucunda nemorum, ſaltuum fontiumque diuerſitate mirum in modum a natura diſtincto, corporis in pueritia tenuioris roborandi ſaltem occaſio haud deerat; literarum autem ſtudia a patre, quem princeps pago illi praefectum et a ſuis iuſtitiae conſiliis eſſe volebat, domeſticis praeceptoribus erant committenda, inter quos Ammonium patruum, verbi diuini nunc apud Brettheimenſes in principatu Onoldino miniſtrum meritiſſimum, et Schwarzium, Onoldinum, virum doctiſſimum, ſingulari et indefeſſa diligentia eminuiſſe gratus profiteor. Profuit etiam Grieſhammeri, viri eruditi, apud Gerhardshofenſes prope Neapolin

ad

ad Aissum sacra olim magna cum pietate facientis, fidelis institutio, qua me adolescentulum ab auo materno, quem salutandi caussa adibam Osternoba, et qui, inde a muneris sui publici initiis Halae Saxonum et Neapoli a. A. iuuentuti erudiendae adsuefactus, senectutem obrepentem adsiduis lectionibus Graecis Romanisque oblectabatur, per octo saepius boras singulis diebus suauissime detentum et delinitum esse baud sine pio viri nunc ad scholas aeternas euecti desiderio memini. Hic forte vehementior ista discendi cupiditas instillata est animo, quem ab illo tempore redux ad parentes et praeceptorum domesticorum studio destitutus tanto feruore in linguae Graecae et Hebraicae cognitionem intendebam, vt muta Danzii et Dieterichsii doctrina vsus non solum singulos foederis antiqui libellos illorumque singulas voces in suas compages resoluere, sed inflictis etiam memoriae accentuum prosaicorum metricorumque nominibus et ordine, Chaldaica ista et Rabbinica coniungendi distinguendique signa ex legum ab Augusto Pfeiffero et I. D. Michaele datarum seueritate in plures Paraschas notis diacriticis exutas reponere studerem. Inde factum est, vt anno 1783., quum iterum pater ad redituum pagi Baruthini praefecturam aulicam in istam metropolin euocaretur, Gymnasii, quod ibi floret, ciuium ordini primo adscriberer. Fieri nequit, vt digne exponam de innumeris praeceptorum buius scholae praeclarae in me meamque doctrinam qualemcunque meritis: vt recenseam omnia, quae a me debentur b. Purruckeri studio, Langii V. S. V, priuatis etiam scholis de me meritissimi, amori et curae vigilantissimae, Kappii S. V. V. insigni solertiae et exhortationi, Krafftii V. C. impensae humanitati et Schumanni V. C. officio. Delatus in hanc nostram literarum vniuersitatem anno decennii praeteriti octogesimo quinto ad humanitatis primum et philosophiae studia animum adplicare coepi, Harlesii, Breyeri, Pfeifferi, Meuselii, Mayeri Bayerique, virorum amplissimorum et illustrium, quorum prior me non solum in seminarii philologici sodalitium, sed postea etiam in domicilii societatem humanissime receperat, praeclara opera vsus: deinde sub laetissimis Seileri, Rauii et Hufnagelii, virorum summe venerabilium, auspiciis, stadium theologicum ingressus sum, per triennium et quod excurrit semestre nihil reliqui faciens eorum, quae institutionis plane egregiae, quam vberius hic praedicaturus essem, nisi

 tanto-

tantorum virorum violare pudorem arctior officii necessitudo prohibere videretur, pia forte reuerentia exigeret. Sub finem anni 1788. summos in philosophia honores via legitima adeptus, aperire coepi scholas exegeticas priuatas, *Iunckhemii* inprimis, του νυν εν αγιοις, suasu et auctoritate permotus, qui cum aliis nonnullis viris eruditis mihique bene cupientibus vitae academicae ineundae propositum iniecerat animo. Hic quum in librorum sacrorum, hebraicorum praesertim, interpretatione coniectare subiret, quantum lucis adhuc multis codicis sacri locis ex historia naturali adfundendum restet, interfui perillustris *Schreberi* nostri praelectionibus zoologicis, botanicas etiam et mineralogicas frequentaturus, si modo illud per publicarum occupationum impedimenta licuisset. Anno enim subsequente octogesimo huius seculi nono a serenissimo principe Brandenburgico philosophiae extra ordinem profitendae munus mihi demandatum est, in qua quidem prouincia sustinenda, quantum *Hufnagelii*, viri summe venerabilis, opera et vero amicitia, cuius gratam memoriam nullum temporis locique interuallum in animo meo obliterabit, adiutus fuissem, etiam hic non testatum facere nequeo. Eo iucundior et exoptatior putanda est vinculi domestici necessitudo, qua me cum illo coniunxit illustris *Breyeri*, philolophiae p. p. o. et consiliarii aulici, filia natu maior, *Elisabetha Friderica Eleonora*, quae in matrimonium, cui iam biennio et quod excurrit ante erat destinata, anno huius decennii nonagesimo primo ducta me patrem fecit filioli, *Vilelmi Friderici Philippi*, qui hucusque nullam infantiae primae spem dulciorem sinit esse inexpletam. Anno sequente, quum *Hufnagelius* Francofurtum ad Moenum ad sacra primo loco ibi facienda et synedrii sacri consilia vocatus esset, praeter omnem exspectationem a potentissimo et augustissimo Borussiae rege, *Friderico Vilelmo*, almo patriae patre, suffragante illustrissimo *Hardenbergio*, terrarum nostrarum praesidio et decore immortali, locus in theologorum nostrorum ordine quartus cum templi academici ephoria secunda mihi oblatus et demandatus est, quam quidem spartam iam anno superiori a me aditam et occupatam nunc minus timide administrare incipio, ex quo publicis relationibus edoctus vidi, facultatem theologicam Ienensem, antiquitatis et famae gloria celebratissimam, me in illorum numerum

referre

referre haud dubitauisse, qui beato Doederlinio *aliquando successuri sint.*

Scripta publice exarata:

1. *Obseruationes ad nonnulla* Ammonii *Grammatici loca praemissa breui de Vita illius disquisitione. Erl.* 1787. 4.

2. Ammonius *de adfinium vocabulorum differentia cum* Valckenaarii *notis selectis suisque obseruationibus edidit* C. F. A. *Erlangae apud Palmium* 1787 *in* 8.

3. *Hekube vnd Andromache zwei Trauerspiele des Euripides aus dem Griechischen mit Anmerkungen. Erlangen bei Palm* 1788. *in* 8.

4. *De Euripidis Hecuba adiectis obseruationibus in eiusdem Tragici Andromacham. Dissert. inauguralis philosophica. Erl.* 1788. 4.

5. *Wie feiert der Christ auf eine würdige Art die lezten Augenblicke des sterbenden Iesus? Eine Charfreitagspredigt* 1789. *Erl. bei Palm in* 8.

6. *Euripidis Hecuba recens. et perpetua adnotatione illustr. Erl. apud Waltherum* 1789. 4.

7. *Salomo's verschmähte Liebe, oder die belohnte Treue, eine neue Vebers. vnd Erklärung des hohen Liedes. Leipzig bei Barth* 1790 *in* 8.

8—10. *Noua versio graeca Pentateuchi ex vnico bibliothecae s Marci Venetae codice primum ed. et rec. accedunt commentatio de huius versionis vsu, aetate et indole, indices et tabula aeri incisa. Tom I—III.* 1790—91. *Erl ap. Palm. in* 8.

11. *Von dem Werth vernünftiger Zweifel in der Religion Eine Predigt in der Bair Schlosskirche gehalten. Baireuth bei Lübeck* 1790 *in* 8.

12. *Entwurf einer reinen biblischen Theologie.* 2. *Theile. Erl. bei Palm* 1792 *in* 8.

13. Ioh. Aug. Ernesti *institutio interpretis N T. quartam editionem suis obseruationibus auctam curauit* C. F. A. *Lipsiae in libr Weidmann.* 1792. *in* 8.

14. *Veber das Todtenreich der Hebraer von den frühesten Zeiten biss auf David. Eine Abhandlung im Namen des königl Instit der Moral vnd schönen Wiss. geschr. Erl.* 1792. *in* 4. *recus. nunc in celeberr.* Pauli *Memorabilibus partic. IV.*

15. *Veber die hohe Vntrüglichkeit christlicher Wahrheit. Erste Amtspredigt. Erl bei Palm* 1792. *in* 8.

16. *Commentatio exegetica de repentina diui Pauli ad doctrinam christianam conuersione ad Act.* IX, 1—19. *orat. adit. causa scr. Erl.* 1792. *in* 8.

17. *Neues*

17. *Neues theologiſches Iournal.*
Ammon. 1 — 4. *St. Nürnber*

18. *Chriſtliche Religionsvorträge üb*
bens- vnd Sittenlehre. Erſtes Bä

19. *Wie gelangen alle Chriſten zu*
digt bei der hundertiährigen Iub
reformirten-Kirche vor der aka
1793. *in* 8.

20. *Opuſcula theologica. Faſcicul*
prelo.

21. *Symbolae ad plures ephemeride*
minores.

Talem igitur Virum, i
tempore, quo ſe litterarum f
diſcendis linguis et variis do
conſpicuum, de Academia n
ris elegantioribus, tum in ſac
me meritum, *Collegam* nobis
a nobis petiit, in Theologia
Schedula notum facimus, M
rico-Alexandrinae Prorector
ſtrem Procancellarium, Prof
ues denique generoſiſſimos n
Vniuerſitatis noſtrae Fauto
obſeruantia inuitamus, vt a
h. m. Aprilis a. m. ad hora
initium capiet, ſua praeſ
Scrib. in Academia Regia Fr
cIↃIↃ CCLXXXXIII.

Iournal. Herausgegeben von Haenlein — und Nürnberg bei Monath und Kußler 1793.

svorträge über die wichtigsten Gegenstände der Glau- Erstes Bändchen. Erl. bei Palm 1793. in 8.

Christen zur Einigkeit ihres Glaubens? Eine Pre- ährigen Iubelfeier der Einweihung der französisch- or der akadem. Gemeinde gehalten. Erl. bei Palm

n. Fasciculus primus. Erl. ap. Palm 1793. sub

ephemerides literarias et criticas cum maiores, tum

Virum, ingenio praestantem, inde ab eo tterarum studiis dicauerat, indefessae in per- variis doctrinae generibus diligentiae laude cademia nostra fideli iuuenum cum in litte- tum in sacris et theologicis institutione opti- *gam* nobis coniunctissimum, summis, quos, Theologia honoribus, exornandum esse, hac cimus, Magnificum academiae Regiae Fride- Prorectorem, illustrissimum comitem, illu- ium, Professores doctoresque reliquos, ci- ssimos nobilissimusque, nec non litterarum ae Fautores hac schedula ea qua par est nus, vt actum hunc, qui die Iouis, XVIII. ad horae partem dimidiam post octauam ua praesentia illustriorem reddere velint. Regia Friderico-Alexandrina XVI. m. April.

(L. S.)